Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

Bibliographische Daten

Titel: Aristoteles – Nürnberg, STN, Cent. IV, 1
Signatur: Cent. IV, 1

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

genus. nam cui differentia inest et genus sequitur, sed cui genus non omnes differentie. Commune autem omnium esse elementum cuiuslibet primo inest unicuique.

Natura vero dicitur uno quidem modo nascentium generatio, ut si quis extendens dicat ypsilon; uno vero ex generetur primo quod nascitur inexistente. Amplius unde motus primus in quolibet natura entium in ipso in quantum ipsum existit. Nasci vero dicuntur quecumque augmentum habent per alterum in tangendo et connasci aut adnasci, ut embria. Differunt autem connascentia a tactu; hic enim nichil preter tactum alterum necesse est. In simul autem natis est aliquid unum idem in ambobus quod facit pro tangi simul nasci et unum esse secundum continuum et quantum, sed non secundum quale. Amplius autem natura dicitur ex quo primo aut est aut fit aliquid entium natura, inordinato existente et inmutabili a sua propria potestate, ut statue et vasorum ereorum es natura dicitur et lignee eorum lignum. Similiter autem et in aliis; ex hiis enim est unumquodque salvata prima materia. Hoc enim modo et existentium natura elementa dicunt esse naturam, alii ignem, alii terram, alii aquam, alii quidem horum, alii vero hec omnia. Amplius autem alio modo dicitur natura existentium substantia, ut dicentes naturam primam compositionem esse, ut Empedocles dicit quod natura nullius est inexistentium, sed solum mixtio et permutatio permixtorum est, natura vero in hominibus nominatur. Quapropter et quecumque natura sunt aut fiunt iam existente ex quo nata sunt fieri aut esse non dicimus naturam habere si non habent speciem et formam. Natura quidem igitur quod ex hiis utrisque est, ut animalia et corpora partes. Natura autem materia prima et hoc dupliciter, aut que ad ipsum prima aut omnino prima, ut operum eorum ad ipsam quidem primum es, totaliter vero forsan aqua, si omnia liquabilia aqua. Et species et substantia; hec autem est finis generationis. Methaphora vero iam et omnis omnino substantia natura dicitur propter hanc, quia et natura substantia quedam est. Ex dictis igitur prima natura et proprie dicta est substantia que principium motus habentium in se in quantum ipsa. Materia namque quia huius est susceptiva dicitur natura, et generationes et generari quia sunt ab hac motus. Et principium motus natura existentium hoc inexistens est aut potestate aut actu.

Necessarium dicitur sine quo non contingit vivere ut concausa, ut respirare et cibus animali necessarium, nam sine hiis esse impossibile. Et sine quibus bonum non contingit aut esse aut fieri, aut aliquod malum expellere aut privari, ut bibere farmacum necessarium ut non laboret, et ad Eginam navigare ut pecuniam recipiat. Amplius violentum et violentia. Hoc autem est quod preter impetum et prevoluntatem impediens et prohibens; violentum namque necessarium dicitur. Quapropter et triste, sicut et Evenus ait, omnis res necessaria tristis est. Et vis necessitas quedam, ut Sophocles dicit: sed vis me hec facere cogit. Et necessitas videtur irreprehensibile aliquid esse, recte contraria namque motui secundum prevoluntatem et secundum rationem. Amplius quod non contingit aliter se habere, necessarium dicimus sic se habere. Et secundum hoc necessarium et alia dicuntur aliqualiter omnia; violentum namque necessarium dicitur aut facere aut pati tunc quando non contingit secundum impetum propter cogens, ut necessarium hec existente.